



TRACTATUS PRIMI, SECTIONIS I.

L I B E R I.

De numeris divinis.

C A P V T P R I M V M
seu hujus subjecti præludium.



Quoniam in nobilissima hominis seu Microcosmi interni dispositione, & circa admirabilem animæ humanæ harmoniam absque exactissima melodiæ & symphoniam mundanæ, seu microcosmicæ cognitione versari impossibile arbitramur, similiter de numero, pondere & mensura (ex quibus mundus, & ejus anima miraculosa concordantiarum ordinatione atque concatenatione conflantur) sine debita divinorum, formalium & abstrusorum numerorum contemplatione mysticâq; harmoniæ simplicis inspectione ritè judicare aut perpendere nequimus (quippe quæ omnes compositiones symphoniam, rerum mundanarum essentiam, vitæ, & alii musicæ mundanæ & animatæ effectus, ab his numeris divinis & originalibus, tanquàm numerus ab unitate, punctum à linea & concordia ab unisono derivantur) idcirco imprimis & ante omnia necessarium existimamus, infinito animi & ingenii conamine, imò verò indefatigabili ipsius mentis divinæ fervore, precibus etiam assiduis & fidelibus præuntibus, ut profundâ horum numerorum divinorum meditatione atque tum postea sincera harmoniæ simplicis, ab iis ineffabiliter scaturientis contemplatione & inquisitione ad completam horum cognitionem feliciter perveniamus. Quod quidem quoniam perfici, & ad culmen atque exitum felicem à priorè perducere impossibile censetur; quoniam DEUM secundum ejus essentiam nemo unquam mortalium describere aut propalare potuit (tam enim abdita & abstrusa sunt Majestatis divinæ mysteria) nostrum utique erit (quibus propter mentis & ipsius verbi divini fruitionem haud quaquam deest immortalitatis consequendæ facultas) nosmet inopia laborantes & ignorantiam tenebris obvolutos, virtute mentis in nobis habitantis captivos redimere, ab obscuro lumine discedere, immortalitatem adsciscere & corruptionem fugere: Quod quidem ut ingenuè & perpulchrè fiat, mentis nostræ acumine tenebrarum corporalium fissuras penetremus, ut à posteriori tandem unitatis metam attingamus, lucis jugum (summa pulchritudine decoratum) insurgamus, insubstantiali mentis patriam saltu levi insiliamus, scalam Jacobæam alacriter, sed

C 2

cautè